

Obstat adhuc præcipuum hoc, *abstinentiam a scortatione esse perpetue moralitatis*; aut igitur hæc cætera adjecta ejusdem necessitatis habenda esse, aut scortationem rebus indifferentibus adnumerandam. Respondemus, neutrum valere. Quid enim absurdi est sub generali vocabulo speciales respectus latere? Abstinentia a sanguine erat necessaria ob imbecilles, a scortatione ob vanam gentium persuasionem, hætenus pro indifferenti scortationem tenentium. Quid patitur hic incommodi textus? Et certe, si recte rem introspicimus, non potest alia subfuisse causa, cur Apostoli expresse nominarent vetarentque scortationem, quam quod cum cæteris rebus haberetur pro indifferenti, cur enim alia moralia tacerentur? nisi velimus descendere in *Cl. Heinsii* sententiam, merum in vetitis hisce necessariis esse ciborum sacris gentium usitatorum respectum, *nil usitatus apud Gentes fuisse scribentis, quam ut meretrices, quæ sufficientem corpore questum fecissent, luculentas Veneri Divisque victimas, eadem hac fœdisime mercede pretioque emptas partasque offerrent.* Ejusmodi *ἄσχητον πορνικὴν* dictam, uti *Prov. VII, 14.* habeatur illud meretricis, *ἄσχητον ἐργασίαν μοι ἐστίν* &c. Inde Hellenistas haud dubio *πορνείαν* hoc est, *πορνικὴν ἄσχητον* dixisse. Hoc saltem apparet, quod vetandis cibis idolorum simul vetare in sacris gentium impiam scortandi consuetudinem voluerunt Apostoli. Jam ergo constat, cur necessaria abstinentia sanguinis Apostolis vocetur; constat, cur mandata sit seu consulta potius; constat, cur adjecta vel sub pari vel impari necessitatis gradu scortatio, sub pari, cum significat meretriciam victimam, sub impari, cum Veneris impuritatem. Absit nunc ultra dubitare de cæremoniali vetiti sanguinis, quando allata ex sacris argumenta nil faciunt pro moralitate interdicti, imo quando adeo luculenter constat, antiquatum ab ipsis Apostolis hoc ipsorum ad tempus datum propter imbecilles consilium, uti capite secundo supra evictum fuit. Id enim gratis dicitur, Paulum in suis epistolis cibos Mosaicos tantum respicere, quorum delectus non sit amplius necessarius, non enim ad Judæos solos,